

Rome, 8 janvier 1602.

/ Ill<sup>ris</sup> et R<sup>me</sup> Domine Abbas. Ex litteris P. Ludovici Rogerii aliquoties ad me datis, cognovi quam bene mereri de societate Jesu D.V.R<sup>ma</sup> semper curaverit, pro qua re ego quoque, qui unus ex eadem Societate sum, D.V.<sup>rae</sup> gratias ago. Nunc vero non tantum ex eiusdem 5 P. Rogerii litteris, sed etiam ex humanissima epistola V<sup>rae</sup> Amplitudinis intellexi quanto me amore eadem D.V.R<sup>ma</sup> prosequatur. Dabo operam, ut et propensa voluntate et rebus ipsis tantae charitati mihi impensae respondeam.

Quod ad negotium attinet, nihil mihi P. Generalis adhuc aperuit; cum id fuerit, emitar pro viribus ut officio non defuisse videar. Doleo D.V. in ingressu Italiae morbis tentari coepisse, ut Patavii subsistere necessarium fuerit. Sed ferendum est quod Deo placet, neque festinandum est ad Urbem nisi valetudine integre recuperata, cum sine dubio Patavinum coelum Romano salubrius sit. 10 Curet igitur D.V. diligenter valetudinem suam, et mei memor esse dignetur in sanctis precibus suis. Romae die 8 januarii 1602.

[ F.B.9. Copie. Fuligatti, Epp.fam. XXVIII.]